IN OBITUM
ANTONII CANOVAE
CARMEN



ROMAE
EXCUDEBAT DE ROMANIS
A. MDCCCXXIII.

Facta a Praesidibus potestate.

Ora a noi, che dopo lui siamo rimasti, resta imitare il buono, anzi ottimo modo da lui lasciatoci in esempio; e come merita la virtù sua e l'obbligo nostro, tenerne nell'animo graziosissimo ricordo, e farne colla lingua sempre onoratissima memoria.

Vasari, *Vita di Raffaelle*.

Ingruerat, primo qualis solet esse novembri,
Humida nox, stellarum expers, sine lumine lunæ.
Atque ego Janiculum, dextrâ quâ in parte propinquo
Cum Vaticano conjungitur, atque sepulchris
Claustra aperit pietate loci ac terrore verenda,
Consolaturus cineres, animasque piorum,
Vota Deum saltem si tangunt nostra, petivi.
Tuque recens leti, Antonî Canova, trophæum,
Amplecti cujus non fas, lacrymisque rigare,
[Adria nam dederat te, atque Adria sustulit] ossa,
Menti aderas tristi, cruciataque corda premebas.
Multa quidem suberant cum relligione. Quis altor
Adveniet cupidæ laudisque artisque juventæ?
Quis regum et primorum opibus confertus abunde,
Prodigus externis, ut sensimus, et sibi parcus,
Multigenas alius feret in bona publica civis?
Non etenim tantum ille sibi post aurea sæcla
Fingendi limo formas, artemque jubendi
Marmora sub dio vitam quasi vivere scalpro
Adscierat. Partem imo sui stipendia census
Multa dedit pueris tironibus, æraque cudit:
Adjuvit, monumenta patrum qui claraque facta
Vindicat e latebris doctâ cum lampade, cœtum:
Consuluit miseris, Pietate tenente locellos,

* *

Consuluit, fuerat quorum ipse domesticus olim:
Quæ sibi patrarat, pars tandem plera bonorum
Graia complexum nostra et miracula templum
Extulit immensæ Triadi: et sic cesserat astris!
Ecquis laude Virum propriâ donârit ademptum?
Tu; prope qui dormis humili, Torquate, sepulchro,
Surge o, digne operis, meritamque adipiscere laurum:
Sit tuba clara tamen, cineres quæ condita propter,
Sit tibi et eloquium, facili cui contigit, uno
Cum numero, extremum suadere ex Alpe Pachinum;
Neutra quidem redeunda prius, quam cesset inani
Itala verborum pubes confligere ludo.
Quod si te pereunte simul jacuere Camœnæ,
Sique Artes jacuere; Hujus si dextera nondum
Æmula Naturæ viget, ac mens credita cœlis;
Tu potes in tantâ jacturâ reddere vires
Semianimis casu ingeniis, atque addere flammas,
Quidque boni bonus ille tulit sacrare monendo.
Qui mihi si fuerint victuri sæcula versus,
Laudarem ipse Virum, magnis qui sedulus ausis
Tempestate ferâ Charites deduxit amœno
Litore, quo latuere, solum peragrare latinum;
Atque inspiratam genio velut ille favillam,
Virtutes inter, quosque exardebat amores,
In sua saxa, rudem blanditus pollice cretam,
Fuderat, ac peperit miracula! Certa regebat
Læva stylum, superas hauribant lumina sphæras,

Pascebantque aures habitam per scripta sophiam ;
Ast ubi conciperet mens verum, ubi malleus ictum
Prodiderat, non pondus erant, non frigora cautes.
Quando et avarities, et suada superbia culpæ,
Irrepsitque domum livor; vicêre dracones
Ingenui citius mores, innoxia virtus,
Quam fœda ille suo terebraret tergora ferro.
Hinc canerem lauro et redimitum tempora olivo,
Qualem jussa Pii, nostramque implere salutem,
Orantem dictis, victorem Sequana vidit,
Cum veterum tabulas, signa, atque volumina, bello
Indigno direpta, iterum gaudere quirino
Sidere, cognatis nec non splendoribus, egit:
Unde tulit puram, quâ non tremefacta Corinthus,
Aut Rhodos, aut Smyrnæ, facundæ Palladis hastam
Principis ante pedes, nitidam retulitque coronam,
Emicuitque novis titulis plaudente Senatu.
Hujus et interitus, castæ quia sæcula vitæ
Cessatura cluent melius, non laude careret.
Scilicet invisens, Phœnix velut aurea nidum,
Quæ crevere Deo prope parvas inclyta cunas,
Artifici ipsa rogus, templi molimina, lectum
Pressit amicitiæ Venetûm digressus in urbem,
Tabuit ac penitus laceranti viscera morbo.
Fessus erat: denis tria non superaddere lustra,
Nec prece, nec curâ, nec jam datur arte levari;
Et purgari aliquâ jam sorde, omnemque dicare

Quam bene struxit opem, patriis altaribus ardet.
Oh! ait, oh halitu argillam dignate animandam
Contrectare, Deus! Tua nos documenta seqûti
Quô licet, exiguo si quam pro munere laudem
Gessimus, omnem habeas, quia nos sine te nihil infra!
Dixerat: et domito stupuit cum pectore cælum.
Spiritus extremumque inter carnisque duellum
Candidulam, sensu et rationi prorsus adhærens,
Omnipotenti animam complexa ob Funera Nati
Credidit, atque inter mœrentes lætus obivit.
Marmoreâ cœlebs condatur corpus in urnâ.
Hinc super illacrymet rostrô inclinata jacenti
Adria, turrigeros Roma hinc effusa capillos.
Tres in fronte, caput velati, cetera nudi,
Componant pueri sertum ferale: jacebunt
Sub pedibusque trium Peniclum, Regula, Scalprum.
Sitque brevis titulus, qualis decet: ALPHA ET OMEGA.
UNDIQUE VIVENTIS CANOVAI OSSIBUS ARTES.

Talia deserto volvebam in culmine. Tuque,
Mens o, scribenti faveas, quæ lapsa tenebras
Terrificas inter; portentaque visa recursa!
Nam seu nostra loquax suspiria redderet echo,
Sive repressa animo struerent magis ipsa labores,
Contuleritve locus peragi phantasmate sensus,
Paulatim frondes trepidare ego, flabraque venti,
Terrerique novâ formidine, ludier umbris!

Septigenis fletu quin respondere miserta
Cuncta videbantur de collibus, atque gigantis
In morem ab summo Capitolio et arce Quirini
Divite cum serto Libitina, indutaque bysso,
Hinc atque hinc suris consurgere denudatis,
Falce minansque suâ. Parce oh, mors impia, parce!
Magnum opus annorum et studiorum sæva bonorum
Fregisti! Rapias aliud? ... nihil inde supersit!
Descendo pavidus, teque, o Tyberine, saluto,
Rara triumphalis propter vestigia pontis,
Unda ubi cum flavo disterminat æquore ripas.
Prætereo portam, et miseris concessa medendis
Atria: jamque Petri dubiâ sub luce columnæ
Grandescunt, pariterque tholus, subjectaque signa,
Et duo quæ tangunt salientia flumina nubes.
Hîc quoque nec menti nec cordi devius artis
Phidiacæ decor ille! Ambo de limine sancto
Obliti pietatis enim rugire leones
Adriaci, ac tumulus Clementis inire ruinam;
Quique ad Jorchiadum face versâ, et fronte caducâ
Formosi juvenes vigilant monumenta, videntur
Funeris in pompam movisse Auctoris; et imis
Ex adytis Pius ipse, ingens ab imagine saxum,
Tollere ad astra caput redivivum, et vota profari
Artifici auxiliata suo! Miraclaque tanta
Consiliis inopem dum me superantque trahuntque,
Distineor, sistôque anceps, trepidusque pererro.

Misceri populo tandem spe nitor, et, Æli
Mausolea petit quô semita, ducor. Ocellos
Læva terit: cordis metitur dextera pulsus.
Cum, latet an de nube cavâ, aut tellure profundâ,
Nil mortale gerens juvenis, nisi cognita vultus
Ora, habitumque, nigro se in tramite candidus offert
Siderea cum luce micans. Huic lanea molles
Distringit lorica humeros; huic cærula gemmæ
Lumina fronte nitent: tenui coma pexa galero
Diffluit, atque genas graciles circumvenit auro.
Denique talis erat, qualis jam pariete vivus (*)
Auscultare Platona suum belle ipse redibat
A speculo, flagrans testatus imagine pectus.
Ac velut, in scopulos zephiro impellente carinam,
Exertum cæca tandem caligine solem
Prosequitur multâ prece navita; sic mihi vultu
Turbida placari dum sensi pectora noto;
O Raphael, decus Italiæ, quo sidere, dixi,
Laberis in gemitus? Quid fers? Deus anne sub auras
Et venisse iterum, et Ternarum in sede Sororum
Legitimum jussit, viduumque tenere tribunal?
Siste redux! Annis juvenilibus adde senectam:
Salve o, Phidiacûm qui damna rependis, Apelles!
Ille, verecundo prætingens ora rubore:
Si dudum solvisse modum, nunc fletibus æqûm
Parcere. Mortales fuimus; nec vivere compos
Vos infrâ Canova, premit qui lucidus axes.

At quia surrexisse iterum et vixisse probastis
De Tribus alterutram, dum lentior altera surgit,
Quis putet interitum struxisse Sororibus umquam
Sævam Athropon, cui tanta mali non facta potestas?
Urbibus insidunt artes, favet urbibus ipse
Omnipotens, meliusque quirinæ prospicit Urbi.
Olli certa Viri dederat vestigia nosse
Cum semel oblita est decoris monumenta vetusti:
Ast modo, non aliter, monstrato insistere gressu
Aut decet, aut omni jam laude carere necesse.
Hoc tantum monuisse velim: quod sive recentes
Artifices scalpro, studeantve coloribus, omne
Non tulerint punctum, ni, quâ ratione negatum
Non fuit humanæ Deitatem attingere menti,
Significare queant; atque id decus artibus addant.
Laudantur culto Veneres a corpore; nexu
Laudantur Charites parili; sit mitis Apollo;
Sit perbellus Amor, levis Hebe, et candida Psyche:
Lumina torva juvent Gradivum, casta Minervam:
Jupiter et pacem sibimet componat, et iram:
Perseus cum Theseo, cumque Hercule, semideorum
E numero, humanam speciem, divamque fruantur:
Qui sedet ast summâ arce Deus, non fabula vatum,
Sit nova, sit gaudens sublimi laude venustas.
Grajugenûm leges quæ complectatur, et ultra.
Hocce magisterio [dicam quia causa fatendi est]
Plurima post operosa hominum simulacra, Deûmque,

Ipse ego mutantem se nostrâ ab imagine Christum
Extremis junxi tabulis, et funera vici.
Nec secus iste, luto Divinum a clade Cadaver
Virginis e gremio distentum ubi, et omnia finxit
Quot patitur tormenta Parens, quot Magdala deflet,
Struxit opus magnum; conscendit nomen Olympum:
Excupiitque suâ cælum virtute potiri.
Parce igitur lacrymis, vates; ac mœsta sodali
Dum LUCÆ ampla cohors, dum Roma parentet alumno,
Dum tumulo imponent sua signa, ac temnere fata
Edoceant, et posse geri de morte triumphum;
Tu mea dicta feras. Non hoc tamen excidat, oro,
Quod Thorwalsiaden danum, Ateste, atque Phinellum,
Celtiberosque duos, Solâdem, Alvâresiumque,
Cumque Laborario Albacinum, et nomine Fabrum,
Ne mea vota cadant, jubeas salvere, figurant
Corpora qui in saxis. Dic plurima Camuccino,
Romuleam nostro cui reclusisse palæstram
Jure licet, Lando, Vicardôque, Agricolæque,
Et Manno, et Puteo. His etenim [nec fallor in aula
Cælituum] his longum stabunt cultoribus Artes.
Quique, PIO florente, gerit data civica sceptra
Rebus, lege prius sancitâ, PACCA, regundis,
Non sinat ista sinu suavissima pignora carpi
Dicta suo; foveatque magis: quia dignus habere
Quid LEO, testis ego, quid magnus adeptus IULUS:
Et jam saecla ruunt.... Inquit: perque aera nigrum

Argento similes a tergore displicat alas,
Illucetque micans camerato in fornice fani.
Ac mea quantum acies altum specularier ausit,
Illi facta comes nova stella: et Castoris ardet
Igne velut Pollux, alterno lumine binæ
Instituere parem rutilumque per æthera gyrum.

PHILIPPUS DE ROMANIS.

(*) *Nota ad pag.* 8. *vers.* 11. Nempe in parietariâ picturâ Palatii quam dicunt *Scuola d' Atene*, ubi Raphael Sanctius suam ipse imaginem affixit a speculo. Præterea notandum est quod idem Sanctius diem obiit supremum eo loci ubi nunc caput viæ *di borgo nuovo* ad plateam Vaticanæ Basilicæ: quare etc.



IMPRIMATUR,

Si videbitur R. P. Mag. Sac. P. Ap. Mag.

Joseph della Porta Vicesg.

Nihil obstat

D. Cajetanus Donaudi C. R.

IMPRIMATUR.

Fr. Tomas Dominicus Piazza Ord. Præd. Mag.
et Soc. Rev. P. Mag. Sacri Palat. Apost.